



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1652. usque ad annum 1662

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1779**

**VD18 90119185**

§. 119. Venetorum victoriæ de Turcis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67372)

Sæc. XVII. A. C. 1656. etiam anno 1661. die decima tertia Novembris a S. Congregatione de Propaganda fide declaratum, quod utrumque decretum de ritibus Sinensibus in suo vigore persistat, ac juxta quæsitæ, & circumstantias diversimode expolitas verum sit.

## §. CXIX.

*Venetorum victoria de Turcis.*

*Nani Hist.*  
*Venet. l. 7.*  
*Tald. Hist.*  
*Europ. l. 6.*  
*pag. 215.*

Erat equidem hic annus Reipublice Ducibus oppido exitialis; eorum enim duo intra trimestre fati cesserunt; postquam enim Contarenus die vigesima octava Aprilis mortalitatem exuerat, Franciscus Cornarus die secunda Maji eidem subrogatus vigesimo post die e vivis excessit, cui die decima sexta Junii successit Bertuccius Vlerius, ad Rempublicam novis victoriis nobilitandam reservatus: Hic enim, sub Architalasso Laurentio Marcello, sexaginta quinque navigiis validam classem instruxit, adjunctisque septem Venetensium triremibus, quas Carata regabat, bellum contra Turcas toto ardore profsequi statuit. Ejus igitur imperio Marcellus Helleponti fauces arripuit, navibusque circum positas, Turcæ annonam, recentemque militiam in Cretensem Insulam invehent, sollicito



licite impedivit: nihilominus prope Sinam Sæc. XVII.  
 supremus Turcicæ classis Præfectus die A. C. 1656.  
 vigesima sexta Junii Venetas naves ag-  
 gredi decrevit. Fit illico pro more  
 hujus gentis dissonus diversissimarum  
 vocum tumultus, mixtoque tympanis  
 cornuum, tubarumque concentu classi-  
 cum vario elatoque aeris renisu perso-  
 nat; reboant ex castellis, & aggeribus  
 laxata belli tormenta: ne vero quid mi-  
 nus Veneti agere viderentur, aut tre-  
 pidationis calumniam incurrerent, in-  
 gentem festivamque regerunt concla-  
 mationem, magnæ ad pugnam avidi-  
 tatis testimonium. Præceteris Marcel-  
 lus parva vectus cymba nunc milites,  
 nunc remiges, interdum singulos Du-  
 ces, sæpius universos accedendo ad  
 strenuam sui defensionem stimulabat,  
 cunctos hortatus, ut nunc, nunc con-  
 cepti quisque spiritus, nunc ardoris  
 proximi meminissent, & Veneti deco-  
 ris, cujus curam sibi concreditam nos-  
 sent. Adhuc loquebatur Marcellus,  
 cum jamjam Turcæ, secundo vento-  
 rum flatu usi, primum in Venetos im-  
 petum urgent, mox vero Lazarus Mo-  
 cenigus cum sua Prætoria navi in la-  
 tus hosticæ classis, transverso remorum  
 impulsu violenter impingit, & id qui-  
 dem opportunissimo ceterarum navium  
 concursu, quo Turcarum Architalassus



Sæc. XVII. sese ad castella, uti animo conceperat  
A. C. 1656. recipere, prohibitus, exterarum na-  
 vium, cum e portu haud solvere pos-  
 sent, opem sperare non potuit. Tum  
 vero concors Venetorum insultus in  
 Turcarum classem factus est, ubi ipsa  
 Marcelli Prætoria navis, licet nimio  
 æstu in ipsam prope ad Abydum stati-  
 nem adversus hostes abrepta esset, ma-  
 joris tormenti ictu concussa Nicolaum  
 de Mezo, aliosque tres comprobate  
 virtutis Tribunos amisit, inde autem  
 magis inflammata animorum indigni-  
 tione Marcellus in validissimam Turce-  
 rum navim irrumpit, eaque subacta  
 aliam insequitur, ac certamine in ter-  
 tium diem prorogato tam horrendam  
 globorum & flammæ tempestatem in  
 Thracicam classem effundit, ut magnam  
 partem incensa absumeretur; magni  
 tamen stetit Venetis prosper hic succel-  
 sus; quippe Laurentium Marcellum,  
 dum militis æque ac Ducis partes obi-  
 bat, globus æneus tubo grandiore er-  
 cussus in frustra discerpit, plurimum  
 dolentibus cunctis tanti Viri interitum  
 solus autem oculis ficcis luctum pre-  
 mebat Joannes Marcellus ejus Cogni-  
 tus, qui ne quid incommodi classis Ve-  
 neta, cognita sui Architalassi morte  
 caperet, Badoerium in defuncti locum  
 subrogavit, non pœnitendo selectu. Hic  
 enim



enim jacturam multo vulnere, hostium-  
 que clade ulturus, mox generoso pe- Sæc. XVII.  
 riculi contemptu in Prætoriam tam au- A. C. 1656.  
 spicato irruit, ut Turcarum Archita-  
 lasso, ne Mocenigi navibus cingeretur,  
 propudiosa fuga cum quatuordecim tri-  
 remibus ad castella sese recipere coacto,  
 Turcarum quamplurimi suo Ductore de-  
 stituti partim a Venetis capti, partim  
 aquis hausti perirent: insequitur fugiti-  
 vas naves Lazarus Mocenigus, tanta  
 virium contentione, ut inito certamine  
 hostem propelleret, quamvis ipse ocu-  
 lum bombardæ globo excussum suam-  
 que navim amitteret: Tandem vero  
 dissipata Turcarum classe, victoria pe-  
 nes Venetos stetit, qui occupatis tre-  
 decim triremibus, sexque majoris mo-  
 lis navigiis, & quinque myoparonibus,  
 ceteras naves aut in litore hærentes,  
 aut remis velisque destitutas, laceras-  
 que sibi subjecerunt. Periere Turca-  
 rum decem millia, aut ferro absumpta,  
 aut undis hausta, captisque quingen-  
 tis, Christianorum quinque millia a  
 dira servitute liberata. Ex Venetis non-  
 nisi trecenti fuere desiderati. Tantulo  
 impendio tam ingens Venetis stetit  
 victoria, cujus præmium erat Tene-  
 dos Insula decimo quarto obsidionis die  
 a Venetis expugnata: accessisset etiam  
 Lemnos Insula, si vel tentata fuisset,

B b 4

nec



Sæc. XVII. nec Veneti una Insula securius quam  
A. C. 1656. duabus incerto frui maluissent.

## §. CXX.

*Eleonora Imperatrix Pragæ in Bo-  
hemicæ Reginam inaugurata.*

*Orth. Chron.* Interim Ferdinandus III. Imperator  
*Hung. p. 173.* exeunte Mense Julio Pragæ comiti-  
habebat, in quibus præter belli subsidia Proceribus commendabat, ut Catholicam religionem restaurari, atque administrandis Paræciis dignos Pastores præfici curarent: postea die vigesima octava Augusti ipsemet Cæsar cum Eleonora Coniuge sua & Leopoldo Ignatio Hungariæ Rege ac Leopoldo Guilielmo Archiduce Pragam rediit, ubi Imperatrix die undecima Septembris Bohemici Regni insignibus ab Ernesto Adalberto de Harrach Cardinali & Archiepiscopo Pragensi ornata est. Publica lætitia haud parum augebatur fausto nuntio, quo Cæsari significatum quod Georgius Francipanus Comes Turcas, qui trajecto Danubio Croatiam invadentes, abductis secum Erdödi Comite, ejusque Coniuge, rursus Mense Augusto irruptionem fecerant, cum nongentis Hungaris fuderit, fugaritque, & præter plures alios, tres Tribunos, ipsumque Bighatiensem Gubernatorem captos